IUSTO BORBONIO LUDOUICO 13. GALLIAE ET NAUARRAE REGI CHRISTIANISSIMO, ...

I. P. Andrenas

Digitized by Google

Clodoueo regnante.

ORBIBONI, *recluſa polo iam à pluribus Annis,*
Cæruleo in campo (cæli color) aurea Francis
Lilia Chriſtiadum Diuo cum nomine Lata.
Te voco Borbonium, virtus quem Regia honorat
Iuſtitia, afflicti bello ceſſare dolores
Fac populi, cedat Paci victoria ad Aras,
Firmetur pax longa Dei ſancita per Aras.
Præter honoratum Optata nouitate ſecundum,
Imperij columen Franci, pacemque petentem,

ANNA gratioſa miſericors iucũda iucundus homo qui miſeretur, &c.

Stat Patre Borbonius magno, ſtat paruulus Annæ
Borbonius genitore ſatus Iuſto, vnda profundi
Extulit hunc iucunda maris: quo nomine dicam
Delphinum? Magnum? Iuſtum? debetur vtrumque?
Eſt hæres Magni, Iuſti, quid lingua moraris?

Inſignia Nauarræ catenæ. * Diuiſa bello ciuili.

Attulit Henricus Nauarram, inſigne ligamen,
*Lilia * quo iunxit, noua quo ſua ſceptra ligaret*
Sanguine Mediceo natus, quem ſuſpicit omnis
Nobilitas, (virtus veteri firmata parente
Cognita progenies) populi ſacræque Cohortis
Deliciæ, verax, mitis, Iuſtuſque piuſque
Borbonius: noua ſceptra petunt noua nomina; dic nunc
Quæ noua regna dabis tot regum ſanguine Nato?

Auferẽtis bella vſque ad finem terræ.

Pacificum Chriſti regnum mihi dicis, honora
Nomine? quod nomen dignum? Theodoſius ille eſt
Quem genuere preces, Reges ſed totius orbis
Dat Deus Omnipotens: AVDITE *hæc verba potentes*

Θεόδοτος. Datus à Deo. Per me reges regnant.

Queis tribuit regnare Deus, veſtrum omnis ad vnum
Viuit perque Deum regnat; ſi Iuſta iubebit,
Regia dona feret, vel iniqua, potentia habebit
Supplicia; ad nomen redeo, ſed quære quod vni

Conueniat, teneatque bonum ſub nomine nomen.
Pacificus Salomon: non diffluat amplius amplo Salomon pacificus.
Tramite Chriſtiadum ſanguis, quod ſi noua regna
Poſtulet ambitio, ſint Turcica, Bella Latroni
Debentur: ceſſet Franci cum crimine ſanguis.
Caſtigare ſcelus Iuſti eſt, eſt parcere Regis
Orbiboni, nimioque bonus ſurgente capillo
Paſtor tondet oues, non enecat; alma fruatur
Francia pace, ſuis maiorum inuicta triumphis.
Chriſtiadum ſat bellorum iam natus enim eſt.
Delphin in toto orbe bonus ſub nomine toto
Orbibonus (regale decus) toti bonus orbi
Borbonius: ceſſet clamor niſi clamor amoris.
Diuitias cognoſce tuas Lodoice parentes
Coniuge cum grata dat fratrem Hiſpania Regem,
Fœdus in æternum pacis, diſcordia fratrum
Exulet; et qui bella mouent pacique reſiſtunt,
Iudicium Chriſti horreſcant: dat & Anglia fratrem:
Reginam reddat matrem, memor eſto parentis
Atque ſui gemitus, iidem ſunt matris honores
Ac gnati: cognata tui germania regni,
Et ſoror Allobrogum regina, Sabaudia peſque
Montanus, poſitis ampla armis pace fruantur,
At Parmæ generoſa domus, quam lilia amico
Cærulea in campo aurato tibi fœdere iungunt.
Dico iterum cognoſce tuos Lodoice parentes,
Aureaque Hetruriæ, rubra olim, lilia magnæ,
Pomaque, quid taceo quòd in armis nomen honeſtum GLO
*Significat, taceo * Venetos ab origine, dicam,* VI
S.
Tempus habet reſquæque ſuum, cum cuncta domorum *Francos.

Signa dabo; nunc Roma ſuum cognoſcat honorem
Papatus & opes, noua propugnacula, Chriſti
Delphinum ſponſæ natum, nunc Gallicus eſto
Papa tui Iuſto nati, quo nomine dices?
Eſt mel dulcedo, pax eſt dulcedo, quid ergo
Quærere opus nomen, patris dicatur eodem
Mellifluo, Salomon, totus te ſentiat orbis.
Mellifluum, ô Apifer, totus tua vota ſequatur
Bella ruant virtute tua dulcedine amoris
Mellifluí, Vrbani, videat peccator & ira
Frendeat, et facies macerata furore madeſcat,
Cui ſanguis placet innocuus: mala vota peribunt.
Totius Europæ ſanguis Delphinus, amorem
Conciliet regum, & pacem cum ſanguine ſeruent.
Si quis Chriſtiadum ſæuus ſe ſanguine nutrit,
Pacifici filij Dei vocabuntur. *Exeat, atque Dei natus ſtet pacis amator.*
Gloria, vis, et honor, IVSTO, *qui punit iniquos,*
Vtque pater, natum, populos cum pace gubernat.
Nonô IVSTE *neganda tibi eſt hæc gloria vera;*
εὐδόξα bona gloria. *Vana nihil, nihil vmbra, ſed eſt* εὐδόξα *deorum*
Plena ſuis ſplendens ſtellis, hæc gloria vera eſt,
Dei vos eſtis. *Quam* GLOVIS *ſcribens quondã antiquiſſima in armis*
Medicea illuſtris dixit domus, vndique ſplendens
GLOria VIrtutem Sequitur. *Pomis. Virtutem ſequitur ſua gloria veram*
Vera ſuam, iucunda Deo ſacriſque tiaris
Diuitias Chriſti oſtendit: de ſtirpe Clodouea
Canto domum traxiſſe genus, genus vnde deorum
Non Iouis aut ditis Chriſti ſed nomine Ieſu.
Pôſt mortem, ſtant cuique bonæ ſua munera vitæ,
Supplicia iniuſtæ. O mores, ô tempora! mortem

Virtuti datur inferre, & bene tecta vocantur
Ingenium furta. iniuſtus pro munere iuſtus
Dicitur, opprimitur pauper, Blaſphemia nomen
Commune eſt, linguæ pulchra ornamenta peritæ.
Eſt ludus meretrix, ſpinoſa calumnia regnat,
Et fratrum inuidiæ cædes & publica furta,
Cumque fide cælum aſcendit fiducia amici.
Crimen adulterij iocus eſt, eſt ludus amoris.
Filius in matrem ſurgit, fouet oddia iudex
Queis viuit: fallendo ſuam pro munere partem,
Procurator iniqua petit noua munera fraudis.
Iudicis in portam viduæ nec cauſa minoris
Ingreditur niſi cum argento, quid pulchrius auro?
Sunt ſimulachra, dij, ſunt de quibus omnia fiunt.
Pro tenebris ponunt lucem, pro luce tenebras,
Vos voco diuiſos, ſcribas, qui falſa docetis Phariſæi
Ex cathedra populos, ſcriptiſque vocantibus aurum, diuiſi.
Ponitis in cælo fures, ſed fallor, ad orcum
Mittitis, erroris veniam peto: Crimina mendax
Dicit adulator virtutem; hæc ſplendida tandem
Crimina, ſunt fructus belli, reſecanda pudore,
Legibus, & ferro, firmatæ tempore pacis.
Materiam Lodoice tuis virtutibus amplam,
Iuſtitiæ & pietati, bella inuita tulerunt.
Eſt pietas matrem venerari, tempore longo
Viuit qui iuſſo veneratur honore parentes,
Sunt mandata Dei, queis qui perfidus obſtat,
Rex, populus, paruus, magnus, damnabitur igne;
Sed non ſorte pari, nam parui parua, potentes;
(Vt dicit ſcriptura) ferent tormenta potenter.

Iuſtitia eſt punire malos, qui parcit iniquis,
Qui ſemper peccare ſolent, fouet impius ipſe
Crimina: prudenter regum eſt diſtinguere tempus
Iudicij & veniæ, petit indulgentia tempus
Iudiciumque ſuum, lacrymis ſunt tempora ſuntque
Lætitiæ: Lodoice tuo genitoris amores
Da populo, capiatque tuos cum pace Triumphos.
Criminis vltorem Iuſtum te dicat iniquus,
Partu- *Teque pium mater pro te tot paſſa dolores,*
tientis. PACIS *amatorem populi quos bella fatigant.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

MAIESTATIS TVÆ.

Amantiſsimus & humillimus ſubditus &
ſeruus I. P. ANDRENAS.